

## ORATIO

*Dicenda ante perceptionem corporis et sanguinis Domini edita ab ANSELMO archiepiscopo.*

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti, adoro et veneror hoc sanctum corpus tuum, et hunc sanctum sanguinem tuum, quod traditum, et qui effusus est pro multis in remissionem peccatorum. Deprecor clementiam tuam, misericors Domine, per horum virtutem, fac me unum de illis multis, et fac me hæc sic sentire

A per fidem et affectum, ut sentiam ea per salutis effectum : et absolve et libera servos et ancillas tuas, me et omnes qui mihi confessi sunt sua peccata, et pro quibus promisi vel obnoxius sum orare, et qui se sperant vel petunt meis orationibus apud te juvari, ab omni peccato et pœna peccati ; et fac Ecclesiam nostram continua tua protectione et consolatione lætari. Qui cum Deo Patre, etc

### IN SUBSEQUENTES VERSUS MONITUM.

(De Levis, *Anecdota sacra*, p. 33.)

*In quodam codice membranaceo in formam quarti, ut vocant librarii, sæculi XII, nobis oblato a fratribus Josepho et Jacobo Reycends, qui plura jam edita continebat tum S. Bernardi Clarevallensis abbatis, cum S. Anselmi Cantuariensis episcopi, et aliorum, etc., inter quæ hos paucos versus deprehendimus nondum editos, quos exscribentes luci damus.*

## S. ANSELMI

### SALUTATIO AD DOMINUM JESUM CHRISTUM.

Christi corpus ave, sancta de virgine natum,  
Viva caro, Deitas integra, verus homo.  
Salve vera salus, via, vita redemptio mundi  
Liberet a cunctis nos tua dextra malis.

B Christi sanguis ave, cœli sanctissime potus,  
Unda salutaris crimina nostra lavans.  
Sanguis ave lateris Christi de vulnere sparse  
In cruce pendens unda salutaris ave.

## SANCTI ANSELMI

### HYMNI ET PSALTERIUM DE SANCTA VIRGINE MARIA.

#### 303 *Hymnus ad nocturnum.*

Lux quæ lucet in tenebris,  
Ex alvo nata Virginis,  
Nostram nocte nos exue,  
Diemque tuum indue.  
MARIA Dei thalamus,  
Posce te venerantibus,  
Virtutibus ut splendeant,  
Quos reatus obtenebrant.  
Gloria tibi Domine,  
Nato de sancta Virgine,  
Regnanti victo funere,  
Cum Patre et sancto Spiritu.  
Amen.

#### *Ad laudes*

Præfulgens sol justitiæ,  
Ortus de sacra Virgine,  
Splendore tuo noxias  
Nostras illustra tenebras.  
Orientis castissima  
Mater fac nobis, Domina,  
Vita prorsus ut decidat  
Vetus, nova proficiat.  
Gloria tibi Domine, etc.

#### *Ad primam.*

O Christe proles Virginis,  
Patris compar altissimi,

Per tuæ matris merita,  
Dele nostra peccamina,  
O mundo venerabilis,  
Virgo mater mirabilis,  
Maria plena gratia,  
Ora pro nobis domina.  
Gloria tibi Domine, etc.

#### *Ad tertiam*

Quem credimus ex Virgine  
Natum, benigne Domine;  
Sit nobis hæc confessio,  
Peccatorum remissio.  
Quæ genuisti filium